

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

401. Pro more a Theologis Moralibus recepto, hic quaedam subiciemus de indulgentiis quibus poena temporalis, Deo debita, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum, remittitur et sacramenti poenitentiae effectus quadamtenus complentur. Cognita supponemus quae de natura indulgentiarum, de potestate Ecclesiae eas concedendi aliisque speculativis quaestionibus, a Dogmaticis agitari solent. E practicis autem quaestionibus quae, numero prope infinito, de indulgentiis poni queant, eas tantum seligemus quae saepius unicuique sacerdoti solvendae occurrunt.

Praemitemus quasdam generales notiones de lucrands indulgentiis; deinde breviter de quibusdam usitatoribus indulgentiis, et praesertim de jubilaio, agemus. (1)

§ I. NOTIONES GENERALES.

402. I. Indulgentiae dividuntur praecipue:

1^o In *plenarias* et *partiales*. Plenaria ea est qua ab Ecclesia conceditur applicatio satisfactionum Christi et Sanctorum, sufficiens ad integram remissionem poenarum quas eadem lucraturus, pro peccatis quoad culpam remissis, Deo debeat. Verum, cum saepe maneat in animo quorundam venialium peccatorum culpa nondum remissa, saepe etiam qui indulgentiae plenariae condiciones implet, eam integram lucrari nequit. In hoc casu, a reliquis quidem liberabitur poenis; iis vero quas pro peccatis, nondum quoad culpam remissis, Deo debebat, manebit obnoxius. Partiales dicuntur omnes reliquae indulgentiae, ex. gr. quadraginta dierum, unius anni, etc. Per istas conceditur remissio poenae quam unusquisque exsolvisset ope poenitentiae secundum veteres Ecclesiae

(1) In hac appendice potissimum inhaesimus utilissimo operi P. Beringer S. J. Consultoris S. C. Ind.: *Les Indulgences, leur nature et leur usage*. (Traduction par les PP. Abt et Feyerstein, S. J.) Tum editio princeps, germanice conscripta, tum ejus translatio gallica, a S. C. Ind. approbatae et authenticae declaratae sunt.

canones per quadraginta dies, unum annum, etc., protractae. Cum autem ex hac poenitentia major minorve satisfactionis fructus, pro majore vel minore poenitentis fervore, hauriretur, videtur quoque augeri vel minui valor satisfactorius indulgentiae partialis cum merito et fervore eam lucrantis. (Lehm. II. n. 526) Quandoque annis adduntur *quadragesimae*: hae respondent quadraginta dierum spatiis quae, secundum veteres canones, in severiori poenitentia exigi solebant. Raro indulgentiae partiales ultra centum annos conceduntur. Eas vero quae ad mille vel plura millia annorum protendebantur omnes revocavit S. C. Ind. decreto Urbis et Orbis, 26 Maii 1898 cum speciali approbatione Leonis XIII edito.

2^o In *locales, personales et reales*. Locales dicuntur quae affixae sunt alicui ecclesiae, oratorio, etc., cujus visitatio inter condiciones lucrandae indulgentiae numeratur. Hae cessant, si ecclesia vel oratorium cui adnexae sunt, penitus destruitur, nisi iterum aedificetur in eodem fere loco et sub eodem titulo. (S. C. Ind. 9 Aug. 1843) (1) Ut autem in eodem fere loco restaurari censeatur, necesse est ut novum aedificium parum a vetere distet, puta viginti vel triginta passibus. (S. C. Ind. 29 Mart. 1886; Act. S. S. t. 19. p. 94) Personales dicuntur quas non omnes fideles, sed quidam tantum determinati, puta religiosi, membra piarum sodalitatium, etc., lucrari possunt. Reales sunt quae affiguntur objectis pietatis (ut aiunt), puta rosariis, crucifixis, etc. Hae cessant, si hujusmodi res physice vel moraliter pereunt et formam suam amittunt, ut si crucifixi imago in duas partes frangatur, si pleraque rosarii grana amissa sint, etc. (Bering. op. cit. p. 61)

3^o In indulgentias *solis viventibus* et indulgentias *etiam animabus Purgatorii applicabiles*. Priores unusquisque sibi tantum lucrari potest; posteriores vel sibi vel animabus Purgatorii applicare potest. Sed multo minor certitudo applicationis habetur quando defunctis quam quando viventibus applicantur. Etenim indulgentia pro vivis est tum solutio, quatenus exhibentur a Superiore ecclesiastico satisfactiones Christi et Sanctorum, tum absolutio, quatenus fertur sententia remissionis. Haec autem absolutio, e potestate clavium oriunda, positis condicionibus requisitis, effectum habet infallibilem: quidquid enim Petrus solvit in terris, erit solutum et in caelis. (Matth. XVI, 19) Indulgentia vero pro defunctis non est nisi solutio. Nam R. P. auctoritas in terris tantum exercetur, ac proinde ipse quoque non potest nisi offerre Deo pro animabus Purgatorii pretium ex thesauro Ecclesiae, sicut ceteri fideles

(1) Multa decreta S. C. Ind. in hac appendice citantur, nullo indicato loco e quo desumpta fuerint. Ea facile unusquisque reperiet inter "Decreta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1882 edita jussu et auctoritate SS. D. N. Leonis PP. XIII, ubi ordine chronologico recensentur.

pro iis sua suffragia offerunt. (Ball. P. n. 19) Plura autem obstare posse quominus Deus indulgentias applicet iis animabus Purgatorii pro quibus eas offerimus, a fortiori eruitur ex iis quae (n. 216) diximus de applicatione sacrificii altaris, quo *potissimum* juvantur.

403. II. Indulgentias concedere possunt :

1° Principaliter et plene solus Rom. Pontifex.

2° Episcopi. Horum potestatem plurimum restrinxit Innoc. III. (Decr. l. 5. t. 38. c. 14) Vid. in ipsa die (non autem in anniversario) consecrationis ecclesiae concedere possunt indulgentiam unius anni, in reliquis casibus tantum quadraginta dierum. Has autem indulgentias lucrari possunt soli subditi episcopi concedentis, ut declaravit Alex. III. (Decr. l. c. c. 4) et tantum intra limites dioecesis, nisi indulgentiae sint personales, ut declaravit S. C. R. 26 Maii 1898. Attamen, ut ex eodem responso S. C. R. patet, indulgentias quae non sunt peculiari alicui personarum coetui concessae, lucrari possunt, intra limites dioecesis, fideles qui non sunt subditi episcopi concedentis. Archiepiscopi in tota provincia sua easdem indulgentias concedere possunt atque episcopi, etiam extra visitationis tempus. (Decr. l. c. c. 15) Nullas vero indulgentias concedere possunt episcopi titulares, etiamsi sunt Vicarii Apostolici. (S. C. de Prop. F. 24 Aug. 1852; Coll. P. F. n. 126)

3° Cardinales, vid. indulgentiam centum dierum in ecclesiis tituli sui, dum sacris functionibus ibidem adsistunt.

4° Nuntii vel legati Apostolici. Hi, in suae legationis territorio, concedere possunt pro quibuslibet bonis operibus indulgentias partiales quae minores sint quam unius anni, et pro visitatione ecclesiae vel oratorii indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum. (Bering. p. 41)

404. III. Ad lucrandas quaslibet indulgentias, sequentes requiruntur condiciones :

1° *Intentio eas lucrandi.* Nullam omnino intentionem requiri, nisi interpretativam, probare conantur quidam AA. (Ball. P. n. 27 seqq.) Attamen, cum res pendeat a mente S. Sedis, rectius putamus aliquam veram intentionem esse necessariam, prout in operibus a S. C. Indulg. probatis (Bering. p. 63 seqq.) declaratur. Sufficit tamen intentio habitualis seu semel elicitata et non retractata (Vol. I. n. 10) lucrandi omnes indulgentias quarum condiciones adimpleantur, etiamsi quis ignorat num talis indulgentia detur vel his bonis operibus adnexa sit. (1) Talem

(1) In opere P. Beringer (l. c.), primo dicitur requiri intentionem virtuales, et eae adduntur explicationes quae reapse talem intentionem, juxta sensum

intentionem cotidie renovari, optimum quidem consilium est, sed ad valorem minime necessarium.

2° *Status gratiae*, saltem dum ultimum opus ponitur et indulgentia acquiritur. Ratio clara est ubi quis indulgentiam pro se lucrari intendit: nequit enim temporalis poena remitti ei qui aeternae damnationi obnoxius est. Verum, ubi de indulgentia defuncto applicanda agitur, res non liquet. Id fieri posse etiam a peccatore, probabilius affirmant plures (Bellarm. de Ind. l. 1. c. 14; Suar. de Poenit. disp. 53. sect. 4; Ball. P. n. 50): quia hic non est necesse ut qui in peccato mortali est, prius satisfactionem sibi applicet et deinde illam in defunctos transferat. Optime enim res ita explicari potest ut, quamprimum positae sunt lucrandae indulgentiae condiciones, Pontifex satisfactiones Christi et Sanctorum animabus Purgatorii applicet. Alii tamen (S. Alph. n. 534) contrarium verius putant, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi eam prius fecerit suam. Tutius ergo est curare ut saltem ultimum opus in statu gratiae peragatur.

Probabilius sacerdos qui, in statu peccati mortalis, Missam ad altare privilegiatum vel cum privilegio personali altaris privilegiati celebraret, indulgentiam plenariam hujus altaris pro anima cui eam applicaret lucraretur. Indulgentia enim adnexa est sacrificio, et ipsa Ecclesia applicat alicui animae eandem indulgentiam, si celebrans vel eleemosynam offerens de hac applicatione non cogitaverit, ut respondit S. C. Ind. 12 Mart. 1855. (Ball. P. n. 107)

3° *Operum praescriptorum adimpletio.* Haec sunt praestanda regulariter ab ipsa persona quae indulgentiam lucrari intendit, excepta eleemosyna ad lucrandum jubilaum requisita. Insuper necesse est ut opus peragatur eo modo qui utilis sit ad finem intentum. Sic praescriptae visitationi ecclesiae non satisfaceret qui ecclesiam unice ad malum finem adiret; satisfaceret tamen qui operi de se bono aliquod peccatum veniale admisceret. Cfr. Vol. I. n. 37. Tandem opera praescripta praestanda sunt integre, ac proinde indulgentiam non lucratur qui, quavis de causa, etiam ob impotentiam vel ignorantiam inculpabilem, aliquod ex operibus praescriptis omnino vel magnam partem omittit; eam tamen lucratur qui aliquid omittit quod relate ad opus praescriptum sit modicum, ex. gr. duo *Ave Maria* in Rosario.

Quando plura bona opera praescribuntur, generatim licet ea quocumque ordine libuerit perficere. Sic, quamvis requiri soleat pro indulgentiis plenariis ut fideles *vere poenitentes, confessi ac S. Communionem refecti*

quem et nos huic voci tribuimus (Vol. I. n. 10), determinent. Sed ex iis quae immediate sequuntur liquido constat nihil amplius requiri quam intentionem, in sensu nostro, habitualement.

ecclesiam visitent, S. C. Ind. 19 Maii 1759 declaravit visitationem impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum.

Ad lucrandam indulgentiam probabilius non prodest opus, ad quod quis jam *stricta obligatione* seu sub peccato tenetur: nequit enim una actione satisfieri duabus obligationibus quarum singulae singulas actiones postulant. Ita S. C. Ind. 29 Maii 1841 respondit eos qui ad Horas Canonicas obligantur, non posse per eas satisfacere precibus ad lucrandam indulgentiam praescriptis. Hinc non videntur acquiri indulgentiae affixae precibus, quae a confessario in poenitentiam imponuntur. Haec tamen certa non sunt. Nam plures auctores graves, ut Busemb. (ap. S. Alph. n. 534), contrarium opinantur, neque ullo decreto generali reprobata est eorum sententia. Immo ex pluribus responsis, ex. gr. 10 Maii 1844, constat fideles per communionem paschalem lucrari posse indulgentiam ad quam lucrandam communio praescribitur, dummodo non sit in forma jubilaei, pro quo solo requiritur peculiaris confessio atque communio. Quidam (Monit. Ecclesiast. Vol. IX. part. 2. p. 224) existimant certo acquiri indulgentias si confessarius expresse jusserit poenitentem eas lucrari ad satisfaciendum pro peccatis suis.

Si eidem pio operi variis titulis adnexae sunt indulgentiae, fideles eas omnes simul lucrari possunt, dummodo opus injunctum iterari nequeat, puta communio eodem die, vel iterari non soleat, sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria. (S. C. Ind. 12 Jan. 1878)

405. IV. Opera ad lucrandas indulgentias praescribi solent praesertim sequentia:

1^o **Confessio et Communio.** De his juvat ad praxim notasse:

a) Utraque peragi potest in vigilia diei pro quo indulgentia quaelibet concessa fuerit, non tantum ratione festivitatis, sed alia qualibet ex causa, ex. gr. pro sex Dominicis festum S. Aloysii praecedentibus; manet tamen obligatio peragendi cetera opera injuncta, tempore ad lucrandam indulgentiam determinato. (Decr. Urbis et Orbis 6 Oct. 1870) Ex speciali autem concessione a Leone XIII facta 14 Jul. 1894, indulgentiam Portiunculae lucraturi, confessionem, non autem communionem, instituere possunt a die 30 Julii. Similiter 25 Martii 1897, idem R. P. indulsit ut confessio, quae ad lucrandam plenariam indulgentiam, concessam pro die festo B. M. V. sub titulo SS. Rosarii, foret peragenda Dominica prima Octobris, anticipari quoque valeat feria sexta eandem Dominicam immediate praecedente.

b) Qui culpa certae immemor est ab ultima absolutione, tenetur quidem ad confitendum, non autem ad absolutionem recipiendam, ut lucretur indulgentias pro quibus confessio sacramentalis requiritur. (S. C. Ind. 6 Maii 1852)

c) Ex universali concessione Clementis XIII 9 Dec. 1763, fideles qui semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae, nisi legitime impediuntur, accedere consueverunt, et nullius letalis culpa a se post praedictam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt, omnes indulgentias sine alia confessione lucrari possunt, excepto jubilaeo aliisve ad instar jubilaeo concessis, pro quibus sacramentalis confessio, tempore in earum concessione expresso, facienda manet. Non excipi indulgentiam Portiunculae, constat e resp. 12 Maii 1855. Igitur adverte hujus privilegii usui minime obesse quod quis raro, ob legitimum impedimentum, hebdomadariam confessionem omittat: cum sic minime destruaturs requisita consuetudo. Insuper cum Lehmkühl (II. n. 539) opinamur eum quoque lucrari indulgentias cujus confessiones quandoque sine legitimo impedimento octo vel novem diebus ab invicem distant, dummodo singulis spatiis septem dierum sua confessio respondeat, nec quidquam amplius intendisse S. C. Ind. dum 33 Nov. 1878 respondit: "Praescriptam confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio, "

Quibusdam in locis, ob penuriam confessariorum, concedit S. Sedes ut omnes indulgentias lucrari valeant qui infra quatuordecim dies confiteri solent, vel ut confessio quaelibet sufficiat ad lucrandas omnes indulgentias infra octiduum occurrentes.

d) Secluso jubilaeo, eadem communione acquiri possunt plures indulgentiae etiam plenariae, quae eadem die lucrandae veniunt, sive ob concurrentes festivitates, sive ob devotionem communicantis qui eas tali per hebdomadam aut mensem die affixerit. (S. C. R. 29 Maii 1841 et 29 Febr. 1864) Ex notione autem plenariae indulgentiae patet neminem simul lucrari posse in tota sua amplitudine plus quam unam indulgentiam plenariam. Juvabit ergo eas, saltem quas Deus novit lucranti superfluas fore, pro animabus Purgatorii offerre.

e) Quando lucraturus indulgentiam localem vel personalem, certam quamdam ecclesiam visitare debet, non tenetur ad communionem ibidem peragendam, nisi id specialiter in concessione expressum sit. Quodsi communio in eadem ecclesia fit eo die quo indulgentia acquiri potest, et preces praeciptae recitantur, opus non est alteram visitationem ibidem instituere. (Bering. I. p. 73)

f) Pius IX 18 Sept. 1862 concessit ut fideles habitualiter infirmi, chronici vel, ob physicum permanens aliquod impedimentum, e domo egredi impotentes, lucrari possint omnes indulgentias plenarias quas alias, in locis in quibus vivunt, acquirere possint, dummodo, ceteris condicionibus servatis, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario injungenda fideliter adimpleant. Hanc concessionem Leo XIII 16 Jan. 1886 (Act. S. S. t. 18. p. 462) extendit ad

infirmos aut senio confectos in communitate et sub regula viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exsequi non possunt. Nulla vero generalis facultas concessa est commutandi in aliud pium opus communionem, ad lucrandas indulgentias requisitam, pro pueris nondum ad primiam communionem admissis.

2^o **Visitatio ecclesiae.** Praeter ea quae jam supra de hac visitatione dicta sunt, haec attendi merentur :

a) Visitare ecclesiam idem est ac eandem ingredi animo colendi Deum. Sufficit tamen ut quis ingrediatur moraliter, ex. gr. dum stat prope fores ecclesiae, saltem si ob aliquod obstaculum, ex. gr. nimiam turbam, vel januam clausam, ingredi non posset. (Bering. I. p. 74)

b) Haec visitatio non requiritur nisi in concessione exprimatur.

c) Visitatio regulariter peragi nequit in oratoriis monasteriorum, seminariarum aliarumve communitatum, ad quae christiana plebs non solet publice accedere. (S. C. Ind. 22 Aug. 1842) Saepe tamen speciali indulto conceditur ut religiosi aliave personae quae in publicum prodire nequeant, omnes indulgentias in oratorio domestico (deficiente ecclesia publica) lucrari possint. Videsis Comp. Priv. S. J. n. 440.

d) Qui cupit lucrari plures indulgentias pro quibus visitatio ecclesiae praescripta est, tenetur ad visitationem peragendam totidem vicibus quot sunt indulgentiae lucrandae; nec sufficit ut in ecclesia tot preces recitet quot sunt visitationes faciendae, sed necesse est ut postquamlibet visitationem egrediatur et denuo in ecclesiam regrediatur. (S. C. Ind. 29 Febr. 1864)

3^o **Recitatio precum.** De qua adverte :

a) Hodie, ex resp. S. C. Ind. 13 Sept. 1888 (Act. S. S. t. 21. p. 192), jam constat non sufficere orationem mentalem, sed requiri ut aliqua oratio vocalis recitetur.

b) Plerumque, cum nullae preces in concessione determinentur, unicuique integrum est eas quas maluerit recitare. Quamdiu orandum sit, numquam S. Sedes determinavit. E communi sententia et praxi, satis est quinquies Pater et Ave recitare; immo eximii scriptores, ut Suarez et Theodorus a S. Spiritu, existimant brevioris orationem sufficere, cum hic potius fervor mentis quam precum duratio postuletur.

c) Quando jubentur preces recitari *ad intentiones R. P.* vel *ad intentiones ordinarias*, hae censendae sunt : exaltatio S. Ecclesiae, fidei propagatio, peccatorum conversio et ceterae populi christiani necessitates. Non est opus ut talis intentio expresse singulis vicibus eliciatur. (S. C. Ind. 12 Jul. 1848) Sufficit ut quis implicite intendat ad intentiones R. P. **orare.**

d) Surdo-mutis concessit Pius IX 15 Martii 1852 ut indulgentias, pro quibus praescriptae sint publicae preces, lucrari valeant, corpore quidem

conjuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus; quodsi praescribuntur tantum privatae orationes, proprii surdo-mutorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera, aliquo modo manifestata, salva tamen semper obligatione visitandi ecclesiam.

406. V. Opera praescripta (excepta confessione et communionem, ut n. 405 dictum est) adimplenda sunt **intra tempus aptum ad indulgentiam lucrandam.** Quale sit hoc tempus pro singulis indulgentiis e tenore indulti colligendum est. Quem tenorem ut rite intellegas, adverte :

a) Quando indulgentia pro aliquo die conceditur, tempus lucrandae indulgentiae currit a media nocte ad mediam noctem, neque incipit a primis vespere nisi id diserte exprimatur. (S. C. Ind. 12 Jan. 1878)

b) Quando concessum est ut indulgentia acquiri possit a primis vespere, prout saepe contingit in festis, tempus aptum incipit ea hora qua, ex probato more, recitari possunt vesperae in choro, i. e. hora circiter secunda pomeridiana. (Bering. I. p. 80)

c) Quando indulgentia conceditur tantum usque ad occasum solis, durat " usque ad integrum ipsius diei vespertinum crepusculum " ut loquitur Bened. XIV in Bulla jubilaei 5 Maii 1749. Licebit ergo eam lucrari donec sol 18^{um} gradum infra horizontem ingrediatur. Cfr. n. 236.

§ 2. DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS IN SPECIE.

407. I. Via Crucis.

Exercitium Viae Crucis rite instituens easdem consequitur indulgentias, quas consequeretur si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Jerusalem. Ita declaravit Clemens XII in suis Monitis 3 Apr. 1731 editis, n. 9; quibus insuper, ad vitandos abusos, prohibuit ne eadem indulgentiae determinentur ex pulpitis vel alia forma, aut scribantur in aediculis vel stationibus. Interrogata num totiens in die lucrari valeant indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae, quotiens illud iteretur, S. C. Ind. 10 Sept. 1883 respondit : " Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas totiens lucrari, quotiens praefatum exercitium iteratur. " Hoc tamen responsum de solis indulgentiis plenariis procedit. De his enim solis statuit S. C. Ind. 7 Martii 1678, semel tantum in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucriferi : a qua regula non excipiuntur nisi indulgentiae Portiunculae